

confirmarunt. Et ratio a superioribus nostris deducta demonstrationibus confirmat. Solus Aristoteles, quia Deum suum, servum fecit, cum suis omnibus, falsis et fundamentis et consecutionibus innixi, obstinate, et impie pernegant.

*Finis Libri Decimoni Pancosmiæ.*

#### ANNOTATIO R. P. M. IACOBI DE LUGO.

*Cum in principio huius libri narrat Solem fuisse adoratum ab antiquis, inter alios fuere. Athenienses, credentes illum esse Deum quandam, ideo ut refert Divus Augustinus octavo de civitate Dei. Anaxagoras factus est reus apud ipsos Athenienses, quia dicebat Solem esse lapidem ardenter, negans per similia verba Solem esse Deum, vel aliquid animatum. Nos autem Christi hæredes et ante nos Iudei, non debemus credere aliquid divinitatis esse in Sole, Luna, et stellis, unde sint creature puræ. Ideo Dominus cognoscens a pulchritudine Solis ex eiusque excellentia posse induci homines ad sui honorem, admonuit Deuter. 4 huiusmodi verbis. Ne forte elevatis oculis ad cælum, videns Solem et lunam, et omnia Astra cæli, et errore deceptus adores ea, et colas quæ creavit Deus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt.*

*Quod autem magis urget, est id quod refert Augustinus contra Faustum, Manichæos, scilicet ex illo psalmi dicto. In Sole posuit tabernaculum suum: excidisse in adorationem Solis, quoniam cum Christus (ut aiunt ipsi) in cælum, ascenderet, corpus suum reliquit in globo Solis, inde vero solam animam secum supra cælos ad dexteram patris eexit. Ad quos Manicheos dicimus, ista esse figmenta, quoniam iuxta illud Pauli Apostoli primo pater Deus constituit Christum Iesum, corpus et animam, iuxta expositionem omnium patrum supra omnem principatum et potestatem. Et quo ad dictum psal. Littera Hebræa habet. Soli posuit tabernaculum suum in eis Cælis, scilicet cum sit ex medio planetarum dicitur Solem habuisse a Deo tabernaculum suum et habitationem in eis cælis; si vellimus requirere sensum allegoricum dicemus in Sole iustitiæ posuisse ecclesiam suam. Nihilominus Solem cælestem non esse adorandum, neque astra colenda cum ex divino statuto creata sint potius, et sint nobis in signa, tempora, et annos quam ut colantur a nobis. Clarum est.*

*Non est certum an liber Sapientiæ sit Salomonis, sed ob elegantiam stili creditur fuisse cuiusdam Philonis Iudei, qui Graece lingue fuit valde peritus.*